

T4

## *De agri cultura 7*

### I doveri del fattore

(1) Haec erunt vilici officia: disciplina bona utatur. Feriae serventur. Alieno manum abstineat, sua servet diligenter. Litibus familia supersedeat: si quis quid deliquerit, pro noxa bono modo vindicet. (2) Familiae male ne sit, ne algeat, ne esuriat; opere bene exerceat, facilius malo et alieno prohibebit. Vilicus si nolet male facere, non facies; si passus erit, dominus inpune ne sinat esse. Pro beneficio gratiam referat, ut aliis recte facere libeat. Vilicus ne sit ambulator, sobrius siet semper, ad cenam nequo eat. Familiam exerceat, consideret quae dominus imperaverit fiant. Ne plus censeat sapere se quam dominum. (3) Amicos domini, eos habeat sibi amicos. Cui iussus siet, auscultet. Rem divinam nisi Compitalibus in compito aut in foco ne faciat. Iniuissu domini credat nemini: quod dominus crediderit, exigat. Satui semen, cibaria, far, vinum, oleum mutuum dederit nemini. Duas aut tres familias habeat, unde utenda roget et quibus det, praeterea nemini. Rationem cum domino crebro putet. (4) Operarium mercenarium, politorem diutius eundem ne habeat † die †. Ne quid emisse velit insciente domino, neu quid dominum celavisse velit. Parasitum ne quem habeat. Haruspicem, augurem, hariolum, Chaldaeum ne quem consuluisse velit. Segetem ne defrudet: nam id infelix est. Opus rusticum omne curet uti sciat facere, et id faciat saepe, dum ne lassus fiat: (5) si fecerit, scibit in mente familiae quid sit, et illi animo aequiore facient. Si hoc faciet, minus libebit ambulare et valebit rectius et dormibit libentius. Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat: prius villam videat clausa uti siet et uti suo quisque loco cubet et uti iumenta pabulum habeant.